

**05  
A  
1065**



Eur 860

12

# DISQUISITIO POLITICA DE MO- NARCHIA IN GENERE

SVB PRAESIDIO

ANDREÆ VRSINI EX  
ANHALT. SANDERSLEB. PHI-  
losophiaæ & I. V. D.

RESPONDENTE  
IOHANNE VVIDERO VECLA-  
pontino Austriaco Publicè ven-  
tilabitur

*Ad diem 10 April. Anni 1604.*

Antisth.apud Diogen.lib.6.

*Civitates tum quidem cadunt & intereunt, cum boni  
nequeunt à malis discerni.*

WITEBERGAE.

Ex Officina Cratoniana Anno. M. DC. IIII.

*Clarissimo, deg litteris et litteratis optimè  
rito Viro; dñ: M. Aegidio Weixelbergero,  
ponensis Gymnasij Directori, Praeceptori e*

Nobilissimo & strenuo viro,  
Dn. LOHANNI SCHIFERO, ab  
Irnharting in Daxberg / Superioris Austriæ OR-  
DINARIO deputato, Magnifico Musarum  
mcarum Mœcenati,

Ηοσπολιτικὸν Studiorum & gratitudinis mee  
τεκμήριον submissè defero

JOHANNES SCHIFER  
αναγραμματιῶς

AN HINC FIES HEROS?

Fallor! AN HINC FIES æterni nominis HEROS,  
Quod bene de studiis vis meruisse bonis?

Non fallor. Tantum hæc quia Munificentia laudis,  
Quantum vel virtus summa meretur, habet)

LOHANNES VVIDERVS  
Autor & Respondens.



05 A 1065



# Disquisitionis Politicæ de Monarchia in genere

## I Thema.

**G**eneris homo est naturâ appetens societatis; quæ vel simplici vinculo colligatur vel composto. Illud Naturæ solius, hoc naturæ simul & rationis est.

## II.

Simplex est Viri & mulieris, propter species conservationem: patris & filii, propter rerum successionem: fratrum inter se, post agnatorum & gentilium, propter sanguinis & nominis participationem.

## III.

Compositum est, primò Domini in servum, propter ordinem personarum non simpliciter à naturâ provenientem: dein de amicorum adversus amicos, propter eam, quæ homini cum homine intercedit, humanitatis rationem: tum quoq; superiorum in inferiores, propter dignitatis communicationem.

## IV.

Hinc domus & familia: hic phratriae, pagi, vici, opida, urbes (quas an muris cingi Rebus expeditat publicis, eleganter à politicis queritur) civitates, coloniae, nationes, Respublica; quæ hoc modo tum à natura sola, tam naturæ & consentanea ratione proficit. Et a modo perfectionis domo prior, modo generationis posterior esse statuitur.

A ij

Ex

## V.

Ex precedentibus pater, sceleratus latronum confessiones à recta sociate procul abesse. His itaq; nec simpliciter pactum pro capite pretium offerendum esse proponimus.

## VI.

Enodatis duobus illis vinculis, tanquam civitatis generibus, iam de Rerum publicarum formis dicere convenit.

## VII.

Cùm enim omnis cætus iure sociatus vel imperet vel obtemperet, id ex duplii potestate fieri, politici dicunt: publicā nimirum & privatā.

## VIII.

Hæc domi nuptialis, paterna & herilis est: foris in corporibus & collegiis elucet. Illa iterum vel legibus imminuta, qualis est Magistratum; qui licet privatis imperent, superiorum tamen legibus & imperiis tenentur: vel legibus est soluta, eorum scilicet; qui summum imperij ius habent. l. 31. ff. de ll.

## IX.

Quod rursus aut uni, aut paucis, aut omnibus universim vel certè maiori civium parti collectim competit. Vnde Monarchia, Aristocracia, Democracy vocabula sunt nata: quibus tyrannis, oligarchia, ochlocratia opponuntur.

## X.

Quartum dari posse genus ex hisce tribus temperatum, ita adserimus, ut simul statuamus, posse hoc non incommode ad aliquod trium priorum reduci, & ab eodem tanquam à potiore denominari.

## XI.

De Monarchia &c naq; generaliter loquendo, dicimus eam omnium Reipublicæ formarum esse antiquissimam inde usq; post gentium dispersionem, que anno Mundi millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo contigit, à Nimerodo Noami pronepte

pote inchoatam, & primò in Oriente ab Assyriis & Persis, postmo-  
dum in Occidente à Gracis & Romanis, tandem in Septentrione à  
Germanis, ad hanc usq; mundi labentis senectam, continuatam.

XII.

Cùm enim inde usq; ab exordio Mundi per annos fermè milie  
& octingentos non alius in orbe Magistratus, quām patria potes-  
tas seu paterna gubernatio & majorum in quaq; familia autoritas  
exitisset: fecit tandem petulantia & malitia hominum, qui se  
regi amplius imperio paterno noluerunt, ut Deus qui imperia pro-  
bat, vitia, quae accidunt, non probat, vi homines ad obedientiam  
propter peccatum cogi pateretur.

XIII.

Dissentit Frischlinus; qui in oratione sua contrà VVagne-  
rum Anno 1587. Piag & editâ Monarchiam non à Nimerodo Baby-  
lonicam, sed ab Assure Niniviticam derivat, eâ motus ratione,  
quod Assur princeps pius & sapiens, Nimerodus verò tyrannus  
fuerit: Ideoq; Monarchiam illi, non huic perfido nimirum & scele-  
rato homini, (ut autoris verbis utar) attribuendam docet.

XIV.

Sanè, ut cum Seneca loquar, Tyrannus à Rege distat factis,  
non verò nomine, & ut Bartolus scriptum reliquit, exercitio  
non titulo. Quis si vi regnum involaverit, iure occidi potest: quod  
si suffragio populi aut optimatum, vel legitima successione, vel  
iusto bello, vel sorte, vel oraculo cœlesti principatum adeptus non  
ad populi salutem, sed suam utilitatem abutatur imperio, feren-  
dum non tollendum arbitramur;

XV

Hoc loco committitur error à Bodino, viro alioquin quā rō-  
duyñādīlq; quā poluquādīlq; prætantissimo: qui in Methodi sua  
capite septimo & in Reipublicæ libro 4. capite secundo, circa finem,  
cum Rabinis, quatuor illas Monarchias Catholicas; que ab omni-  
bus Christiana fidei scriptoribus ex Danielis Prophetia desumun-

tur, & rerum eventibus ad amissim oraculo quadrantibus comprehensasunt, in dubium vocare laborat.

XVI.

Sed plus in Danielis vaticinio, quam Bodini gallicinio (Gallus enim est) roboris & ad assentiendum autoritatis deprehenditur. Quodenim alias accidit, ut posito uno inconvenienti, sequantur absurdaplurima, id hic eidem quoque contingit dum in dicto capite septimo Carolum, qui ob rerum gestarum prstantiam Magnus usurpat, & natione & educatione Gallum facit; dum etiam primos Imperatores Monarchas suisdam rationibus omnino pernegat.

XVII

Quibus profecto meliora non sunt ea, quae à Pontificiis traduntur: Carolum Magnum videlicet non aliunde, quam ex Papæ Romani concessione imperij summam ad Francos derivasse.

XVIII.

Hec de origine & antiquitate Monarchia. Sequitur, ut de dignitate eiusdem paucis differamus; quem ex diuturnitate, tum etiam ex collatione cum ceteris Reipublica statibus patescat manifestius. Quod enim quid diuturniori flore fruitur, eo firmiori robore prestare ceteris existimatur.

XIX.

Constantissimam hanc esse Reipublica fermam, docent historiae, docent Assyriorum, Persarum, & aliorum populorum imperia Franci à Pharamundi familia, anno Christi 439. seriem Regem suorum ducentes, deinde ad Merovaos ( unde Merovingi ) tum ad Carolum Magnum postremò ad Capeti gentem annos circiter mille ducentos unius sceptrum coluerunt. Romanorum Monarchia à Iulij Cesaris victoria Pompeiana usque ad Constantimum duravit annos trecentos quinquaginta. Hinc ad Carolum Magnum numerantur quadringenti nonaginta quinque anni: à quo Augustalis dignitas apud Germanos octo seculis, & triennio continuata

& in



& in Austriacam gentem devoluta ceteras omnes longo post se  
relinquit intervallo.

XX.

Collatio cum ceteris statibus elegans extat apud Herodotum  
lib. 3. inter Septemvirolos Magicidas instituta: alia itidem Mæce-  
natis & Agrippæ coram Augusto apud Dionem. In quibus Monar-  
chia ceteris longè laetq; præfertur.

XXI.

Dissentit Machiavellus: qui Democratiam ceteris laudabilie-  
rē existimat. Cūm verò status hic nihil sit aliud, quā imperij sum-  
mi æquatio, non tam absurdum erat omnes omnium opes cum Pla-  
tone aquare; quam Maiestatem, que per se quiddam individu-  
um est, ad populum hoc est ad civium omnium multitudinem de-  
ferre.

XXII.

De optimorum statu dubitari posset, si nomen ipsum intuearis,  
& tanquam simplicem, in quo sola virtus coleretur consideres. Hac  
namq; ratione discrimine boni viri boniq; civis opus hanc esset. Ve-  
rum enim verò, cūm, ut quidam serio iocatur, due taniū sint in or-  
be nationes, una bonoram, altera malorum, illam iamdudum in Vto-  
piam migrasse, hanc ubiq; locorum sedem figere deprehendes.

XXIII.

Quod si communi sensu vocabulum Aristocratiæ sumas, longè  
inserius Monarchia paucorum erit imperium. Ut enim hic status in  
eo distat à populari, quod hic maior pars civium, illic minor impe-  
ret: ita utrique in eo convenit, quod qui summum imperandi ius  
habent, omnibus quidem sigillatim imperare possunt collectim non  
possunt. Atque hoc nomine uterque à Monarchia vincitur;  
quia universis atque singulis imperandi potestas in hac Republice  
forma penes unum est.

XXIV.

Vt autem omnis multitudo ab uno incipit, & in unum resol-  
vitur, sicuti Musaus Eumolpi filius, antiquior Homero Poëta,

A 4 credidit;

credidit: ita videmus pleraque omnia imperia ab hoc statu cœpisse, & quassata nunquam melius habuisse, quam si ad eundem reverterentur.

XXV.

Exemplo sint Romani, qui electis urbe Regibus, nihil ferè vi-  
derat aliud, quam plebem à patriciis multoties discedere, cives cum  
civibus in urbe media, in foro, in campo, in comitiis, in senatu, in  
templo Iovis Capitolini lapidibus, fascibus, gladiis intese dimicare.

XVI.

Hic tamen in maximis Reipublicæ necessitatibus ad asylum Mo-  
narchiæ tanquam ad sacram anchoram se vertere coacti sunt, in u-  
num Dictatorem Rei summam deferentes; quemadmodum Lace-  
damones Harmostæ, Thessali Archis, Mytilenæi Azimnetis, urgente  
bello, Rempublicam committere consueverunt.

XXVII.

Quid? annon Ciceroni, qui tamen natus apicoupatiu[m] ut  
haberi cupit, turbulentum illud suæ Reip. otium vocem hanc inter  
suspiria natam expressit, quâ se malle pronuntiavit cùluparvæ adoy,  
quam cum optima spe dimicare? lib. 2, ad Att. epistola 14.

XXVIII.

Itaq; Romani ad Augustum regiam coronam deferentes, quam  
Regi Tarquinio ante annos 490 detraxerant, nunquam ex senten-  
cia Strabonis Cretensis tantâ pacis facultate, tantaq; bonorum omni-  
um affluere copiâ, quantam suppeditavit Augustus.

XXIX.

An autem Lege Regiâ populus Augusto & in Augustum os-  
tinem potestatem contulerit, prout Ulpianus in l. ff. de Constitut.  
princip. ait, difficilis est questionis. Si enim in ullo prudentia civi-  
lis articulo laborârunt interpretes, hic certè vel maximè laborâ-  
runt & opinionum varietate, & interpretationum dissensione;  
quas hic recenser non esset themata proponere, sed commentarium  
conscribere.

Itaq;



### XXX.

Itaq; sic statuimus, dē duobus alterum fieri posse, ut illarum op̄inionum nulla alterum non posse, ut plus unā vera sit; quae qualisq; sit, affirmare non licet, ne in assentiendo levitas accusari, in dissentiendo prudentia desiderari possit. Interim tamen cum Hotomano eam à Romulo derivantes cundem ei cum urbe natalem facimus, postea Augusti & Tiberij temporibus renovatam putamus.

### XXXI.

Virūm autē eā translatione Imperator Mundi Dominus factus sit, ita ut omnia regna à ceteris Regibus de facto esse occupata, de iure tamen ad Imperatorem pertinere statuendum sit cum Bartolo in l. hostes n.7. & seq. De captiu. & postlim. revers. & aliis, disceptari potest. Negativa sanior videtur.

### XXXII.

Ceterū omissis iam variis acquirendæ Monarchia modis, principatum populi voluntate dupli, liberā scilicet & coactā in unum transferri dicimus. Coactā: quando vel vis vel dolus caussam dat imperio. Libera iterum vel tacita est vel expressa. Illa in successione, hæc in electione apparet. Horum modorum uter præstet, inter Politicos non usquequaq; expeditum est. Nos successionem præfrendam arbitramur.

### XXXIII.

Hic oportunè queri potest: Si Monarcha filio ante regnum acquisitum nato, ex una parte, & itidem alio post imperium procreato, ex altera parte, relictis, decebat, uter in successione prevaleat? Eum, quem natura prætulit, & nos præferendum censemus.

### XXXIV.

Incidit hic & alia non modo inter Dd. concertatio acerrima, sed etiam inter potentissimos principes sapientia armis quam argumentis, & sanguine quam ratione potius decisā atq; definita: Cūm, tot seculis iure gentium approbatā in successionibus primogenitura prærogativā, in hereditate regni duos concurrere contingat, filium

A s nimirum

nimirum primigenij morte sablati. & eius patrum. Verum in a-  
vitâ illâ successione, excluso patruo, nepos veniat anteferendus? Et  
licet in Imperio hodie recepta sit affirmativa, & in praxi observe-  
tur, vigore constitutionis Aureæ Bullæ Caroli IV. Disputationis tan-  
tum gratiâ propaeruo patrocinium nobis suscipietur.

XXXV.

Sed, inquies, quid si linea masculina intercedat, ad quem cum  
pertinebit successio? Responderi potest, hodie plerung, pacta de invi-  
cem succedendo constitui; qualis est nostro tempore confraternitas  
principum Saxoniae & Hassiae, Ein Erbverbrüderung: ad quam  
anno 1587. Marchiones Brandenburgenses salvâ conventione cum Du-  
cibus Pomeranis initâ (quamquam liga secunda semper videatur  
facta sine prauidicio iuris primi, secundum Canonistas in c. recolen-  
tes De stat. Monach) accesserunt.

XXXVI.

Quod si hac deficiant, An ad feminas dignitas illa Monar-  
chica devolvetur? Hac questio tota ab eâ dependet: Vtrum Gynæ-  
cocratia in bene constituta Republica sit toleranda? in qua affirma-  
tiuam tueri conabimur.

XXXVII.

Quæ in iure civili hoc nomine de feminis dicuntur, illa vel  
moribus recepta sunt, l. 12. ff. de iudicib, vel propter consuetudinem  
eius temporis & locorum constituta non ubiq, valent.

XXXVIII.

Leges etiam illæ loquuntur de feminis privatis. Nobis au-  
tem sermo est de publicis; quas sibi populus elegit, & sibi impe-  
xare desiderat.

XXXIX.

Hic Colophonis ergo de iuribus Majestatis, quæ ad Monarcham  
pertinent, dicendum esset: verum ea à Bedino in cap. 10. libri pri-  
mi de Rep. accurate sunt aliquot capitibus expressa: legem videlicet  
et universis ac singulis dendo: bellum indicendo & pacem ineun-  
do: me-

do : magistratus mandando, arg. l. 1. ff. Ad legem Iuliam de Am-  
bitu: Extremam provocationem usurpando: Damnatos contra vim  
iudiciorum servando; quâ tamen clementia adversus parricidas  
& alios enormiter delinquentes abuti non decet, id quod Ecclæ-  
sie Rhotomagensi, sub praetextu D. Romani, & Romæ Cardinali-  
bus, perniciose & ab Ethnicorum Vestalibus derivato more, lice-  
re testatur ibidem Bodinus; Item iuramenta sine exceptione acci-  
piendo, & quæ sunt id genus alia.


XL.

De his tamen, utpote maioribus Regalibus ultimo loco que-  
ri posset, An præscriptione acquiri valeant? Et quamvis diuturnis  
tas temporis efficere possit, ut quod more & exemplo in veteravit,  
potentius nonnunquam ipsâ lege dominetur: hæc tamen Regalia  
majestatica IVRE nec ab alienari à summo principe, nec ullo tem-  
porum decursu in præscriptionem venire ( licet quibusdam seculum  
videatur sufficere) statuimus. Ideoq; à Baldo sacra saerorum, à Cyno  
individua appellantur; quin immò Principis ossibus adeo inherere  
dicuntur, ut si à corona vel sceptro divellantur, propria dignitatis  
homicida Princeps evadat, secundùm Bald. in c. licet causam extrà de-  
probation. Concludimus itaq; cum Themistocle & Catone Athe-  
niensium & Romanorum Principibus: Nec mortales adversus

DEVM immortalem, nec privatos adversus

Rempublicam præscribere posse. Plus  
zarchus in eorum vitiis.

F I N I S.



05 A 1065




Vor 12

Bahr







Ex lib.

# DISQUISITIO POLITICA DE MO- NARCHIA IN GENERE

SVB PRAESIDIO

ANDREÆ VR SINI EX  
ANHALT. SANDERSLEB. PH.  
Iosophiae & I. V. D.

RESPONDENTE  
IOHANNE VVIDERO VECLAS  
pontino Austriaco Publicè ven-  
tilabitur

Ad diem 13 April. Anni 1604.

Antisth.apud Diogen.lib.6.

*Civitates cum quidem cadunt & intereunt, cum boni  
nequeunt à malis discerni.*

WITEBERGAE.

Ex Officina Cratoniae Anno. M. DC. IIII.

*Clarissimo, deg litteris et litteratis optime  
rito Viro; DN: M. Aegidio Weixelbergero,  
ponensis Gymnasii Prorectori, Praeceptori e-*